DE APOSTOLICA BEATI PETRI CATHEDRA ORATIO HABITA IN BASILICA VATICANA ... A...

Giovanni Carlo Boschi, Valenti Gonzaga

Sanctissimo Domino Nostro

D. CLEMENTI XII.

PONTIFICI MAXIMO

JOHANNES CAROLUS BOSCHI

FELICITATEM.



UOD *suo Gregi ex omnibus Nationibus collecto Servator noster unum esse voluit caput, Apostolum Petrum; quod Ecclesiam Romanam ejusdem prædicatione constitutam, sudoribus altam, dedit in lucem gentium, in veritatis*

magistram; immortales Divinæ illius Sapientiæ gratias agit Ecclesia. Sed non minore grati animi affectu prosequendum videtur providentissimum Dei consilium, quo Romanis Pontificibus non solum Divinæ auctoritatis vices, atque Apostolicæ sollicitudinis curas demandavit, sed amplam etiam atque uberem ditionem in illustriori Orbis parte disposuit, ornavit, regendam dedit. Ex hoc enim sicut illud confectum est, ut Populorum imperium iis concrederetur, quos Ecclesiasticorum munerum functio probitatis, innocentiæ, sanctimoniæ disciplina imbuisset; ita ea ad universum Fidelium cætum utilitas venit, ut ad Ecclesiæ regimen ii potissimum admoverentur, quos publicarum rerum graviorumque negociorum agitatio atque administratio, ceterarum virtutum, quibus humana societas continetur, accessione locupletasset: Proindeque Sacerdotes sanctissimi, iidemque optimi Principes, omni genere laudis præstantes, in beatissima Petri Sede, magno totius Ecclesiæ, ac Populorum bono collocarentur. Quod cum in pluribus ex Prædecessoribus tuis, Beatissime Pater, *compertum mani-*

ni-


nifestumque fuit, tum vero in Sanctitate Tua diebus istis cumulatissime impletum esse, decennali experimento (quod in longissimum tempus produci exoptat) jam secura Sponsa Christi lætatur, Urbs æterna, ac felices Te Principe Provinciæ sibi gratulantur. Hujus autem communis lætitiæ sensus maximam partem in me uno excitantur, dum Orationem a me habitam DE APOSTOLICA PETRI CATHEDRA *Sanctitati Tuæ oblaturo in tuum me conspectum dare mihi conceditur; quæque de tuis summis laudibus Christiani Orbis voce prædicantur, ea coram intueri, ac præsentem venerari permittitur. Quamvis enim incredibilis tua erga omnes humanitas facilem semper petentibus ad te aditum, communemque hanc conspectus Tui felicitatem præstiterit; nemo tamen erit qui putet, beneficii collati æstimationem in accipientium animo elevari propter concedentis facilitatem. Quin immo hoc inde Sanctitas Tua adepta est, ut quibuscumque ad te accedere licuit, omnes faterentur, ad ceteras tuas Sacerdotales ac Regias virtutes maximum ex lenitate, clementia, comitate cumulum accessisse.*

Recreat hoc animum meum tenuitate muneris ad Te allati non injuſte erubeſcentem; ac ſpem facit obtinendæ Apoſtolicæ Benedictionis, pro qua, Sanctitatis Tuæ pedibus provolutus, benignitatem Tuam ſupplex imploro.

ORA-



ORATIO.



QUA olim eloquentiæ vi Sanctiſſimus Leo Pontifex in hac eadem Baſilica Populo Romano ſuadebat, natalem diem beati Petri Apoſtoli toto Terrarum Orbe celebratum, peculiari quadam hujus Urbis exſultatione venerandum eſſe; eam mihi nunc ſuppetere optarem, BEATISSIME PATER, ut hodiernam ejuſdem BEATI PETRI CATHEDRÆ ſollemnitatem, quæ unius Romæ propria videtur, ſummo totius Eccleſiæ ſtudio celebrandam oſtenderem. Neque enim Romanam Urbem majori lætitia perfundi oportet ob ſingularem honorem a Chri-

S. Leo Ser. I. in Natal. Apoſt.

a Christo Domino ipsi delatum, quum in ejus sinu Petri Sedem, Ecclesiarum magistram & matrem, collocavit; ac universas per Orbem Ecclesias gaudere decet; ob eam positam in Romanæ Sedis constitutione firmissimam petram, supra quam Divina Sapientia domum suam, ad quam gentes omnes congregarentur, ædificavit: ut illius soliditati superstructa, ventos omnes, ac tempestates, quotquot ab Inferi portis emitterentur, secura despiceret.

Matth. VII.

Matth. XVI.

Erat in Civitate Hierusalem Sanctuarium Dei, ubi asservabatur Arca fœderis, ibique Oraculum, quod omnis Israel per Pontificem Maximum consulebat; planeque Populo persuasum erat, de omni, in quodcumque adduceretur, discrimine, se responsa *sapientiæ* & *veritatis* plena a Deo sedente super Cherubim relaturum. Habet itidem Ecclesia Christi in Cathedra Petri Oraculum Spiritus Sancti, veteri illi undequaque simillimum; ut pote cujus fides testimonio nititur æterni Verbi in carne loquentis ad Petrum, sicuti de illo Deus ad Moysen de nube loquutus est. Ut enim Divinus noster Legumlator ostenderet qua ratione Ecclesiam suam firmius consistere, ac sapientius regi voluerit, quo tempore Apostolis suis denuntiavit quibus

III. Reg. 8.

Exod. XXV. 22. XXVIII. 30.

Conc. Constantinop. III. Act. VIII.

bus insidiis cribrandi velut triticum a Satana petebantur, statim etiam Apostolum Petrum iis demonstravit, in quo periculorum omnium perfugium habituri essent; cujus nimirum fidem ipse Dei Filius precibus suis omnia exorantibus assertam confirmatamque declaravit. Quem autem principem locum inter primos Discipulos illos a se delectos, donisque omnibus cumulatos, Petrum unum ex cunctis ad nascentis Ecclesiæ securitatem tenere voluit; in eundem, pro sua erga Fideles sequentium ætatum providentia, succedere jussit Romanos Pontifices in Apostolatum Petri ex ordine subrogandos; quos sicuti officium *confirmandi fratres* consequitur, ita nunquam deficientis fidei promissionem complecti necesse est.

Luc. XXII.

S. Simplic. epist. 4. ad Zenon.

Quod suo maximo fructu commodoque institutum perspiciens Ecclesia Dei, a sui exordio ad hanc nostram ætatem, si quæ ab exteris hostibus clades ingruerent, aut a falsis fratribus turbæ miscerentur, *Romanam* potissimum *Arcem*, veluti firmissimum communibus fortunis præsidium, aspexit; Romanum Episcopum in Cathedra Petri sedentem appellavit, eumque non tam suo, quam ipsius Petri nomine, finitivas dicentem sententias audire consuevit. Quæ autem ab Episco-

S. Cyrill. Alexan. epist. ad Calest. S. Flavian. epist. ad. S. Leon.

Conc. Chalcedon. Act. 11. S. Pet. Chrisolog. epist. ad Eutych.

scopis sanctis in legitimis eorum conventibus definita essent, non ante tenenda, ac pro certis amplectenda esse censuit, quam *ad beati Petri memoriam perducta, ibique examinata, atque* Apostolica comprobatione *firmata* fuissent. Sed & iidem Ecclesiæ Pastores si quas controversias judiciis suis versatas tuto conficere posse dubitarunt, *honoremus*, dixere, *beati Petri memoriam*, easque ad Romani Pontificis disceptationem potestatemque detulere. Hoc ipsum providi Salvatoris beneficium singuli agnoverunt Ecclesiæ Patres, quotiescumque in ea tempora inciderunt, quibus Ecclesia in contrarias partes distracta, incertum videri poterat quibus sese potissimum adjungerent; quum nimirum unam, eamque tutam rectæ fidei tesseram statuerunt, Romani Episcopi communionem; quam qui tenerent, eos demum orthodoxos fidenter prædicari posse judicarunt.

Ferrand. Carthag. epist. ad Pelag. & Anatol.

Conc. Sardicen.

Tertull. libr. de Præscript. cap. 21. S. Hieronym. epist. 57. & 58. ad Damas.

Gaudeat igitur hodierna celebritate universa per Orbem terrarum Ecclesia, quæ in Romana beati Petri Sede *domicilium* habet *unitatis ac veritatis*: Centrum nimirum ac vinculum illius unitatis, in qua veros *fratres suos ac proximos suos* Catholicus quisque agnoscere possit; & *domum* a Domino Deo electam,

S. Cyprian. epist. 47.

Psalm. 121.

ctam, in qua requiescceret Spiritus veritatis; quem potiori jure, quam de vetere olim Sion, dicentem audire videor: *Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.* *Psalm. 131.*

FINIS.

